

„carmine formosae, pretio capiuntur avarae.  
gaudeat, ut digna est, versibus illa tuis.  
lutea sed niveum involvat membrana libellum,  
pumex et canas tondeat ante comas,  
summaque praetexat tenuis fastigia chartae  
indicet ut nomen littera facta tuum,  
atque inter geminas pingantur cornua frontes:  
sic etenim comptum mittere oportet opus.“  
„per vos, auctores huius mihi carminis, oro  
Castaliamque umbram Pieriosque lacus,  
ite domum cultumque illi donate libellum,  
sicut erit: nullus defluat inde color.  
illa mihi referet, si nostri mutua cura est  
an minor, an toto pectore deciderim.  
sed primum meritam larga donate salute  
atque haec submisso dicite verba sono:  
‘haec tibi vir quondam, nunc frater, casta Neaera,  
mittit et accipias munera parva rogat,  
teque suis iurat caram magis esse medullis,  
sive sibi coniunx sive futura soror,  
sed potius coniunx: huius spem nominis illi  
auferet extincto pallida Ditis aqua.’“

Liber tertius, 2

Qui primus caram iuveni carumque puellae  
eripuit iuvenem, ferreus ille fuit.  
durus et ille fuit, qui tantum ferre dolorem  
vivere et erepta coniuge qui potuit.  
non ego firmus in hoc, non haec patientia nostro  
ingenio: frangit fortia corda dolor:  
nec mihi vera loqui pudor est vitaeque fateri  
tot mala perpressae taedia nata meae.